Sigismundi I. Literæ ad Duces, et Status Silesiæ de Moneta Svidnicensi.

Illustres Principes et Domini Affines nostri chariſsimi, ac Magnifici, Generosi, Nobiles, Famati, sincerè Nobis dilecti. Jam pridem cum nova moneta in Civitate Svidnicensi cœpta fuit excudi, visum erat omnibus Consiliariis, et Regnicolis noſtris in manifeſtum damnum Regni noſtri fieri, quod eadem moneta non sub signis solitis Sereniſsimi Domini Hungariæ et Bohemiæ &c Regis, sed adinſtar, et tantam similitudinem monetæ noſtræ fieret, ut per simplices, et Literar ignaros nullo modo à noſtra dignosci poſsit. Quare de communi omnium consilio illam è Regno noſtro proscribi fecimus, et publico Edicto capi ab omnibus Subditis noſtris vetuimus, intelligentes eam, si expendi permitteretur, ingens dispendium Nobis, et noſtris Subditis allaturam, et proinde poſtulamus à Veſtris DD. Universis, ut hanc rem Nobis noxiam ita sistere, et providere velint, quo deinceps moneta ipsa, et non excudatur, et excusa ad Regnum noſtrum non inferatur, alioquin Nos omnes illos, apud quos reperietur, graviſsimis pœnis affici, ferreq diutius non poterimus, quin viciſsim statuamus aliquid, quo damnum Nobis illatum iis, quorum culpa eſset refunderetur, ut Nos commodo Regni noſtri non defuiſse videremur. Habemus tamen hanc fidem de veſtris DD. quod pro virtute et benevolentia sua in Nos, hæc justa poſtulata noſtra exequentur. Quæ bene valeant.